

**Cozette, François Henri Théodore -
candidat / Gautier, Hugues -
président. - An civium sanitati noceat
frequens & inconsulta Medici muneris
affectacio ?**

1785.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°119***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima prima
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXV.*

M. HUGONE GAUTIER, Consiliario Regis Medico, Doctore
Medico Præsidente.

An civium sanitati noceat frequens & inconsulta Medici muneris affectatio?

I.

CUM suprâ encomium omne positæ sint artes quæ salutem hominibus
afferunt, re absque ullâ laudum præmissione Medicina saluto. Quotidianis
etsi superbæ ignorantæ conviciis laceßita, quotidiana nihilominus ingratum in
vulgus fundis beneficia, Orbis ipsius origini coæva, non est cur impios artis

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

A

hesternæ ausus reformides : nunquam enim vano æstuantium fluctuum impetu imis è sedibus eruta fuere saxa , nec unquam coruscantes solis radios humilis vapor obscuravit. Tuâ igitur face illustrati , intimos naturæ recessus quantum fas mortalibus est , audemus perlustrare , eductamque è puteo veritatem populis ostendere. Esto , nova passim spargens documenta , credulitati fucum faciat error ; esto , *hominibus bonæ voluntatis* aurum subripiat vis magnetica ; cum sit Philosophus vir verè medicus , nihil temerè admittendum putat ; inconcussis doctrinæ suæ fundamentis innititur , neque allucinationibus aut præstigiis ab opinione suâ deturbatur.

I I.

QUANTA quanta sit homini cuilibet ingenii acies , non potis est omnia simul scientiarum genera complecti. Longum sane per tempus quiescit natura , cum unum integri seculi spatio terris exhibuit virum , qui vulgarem humanæ perspicacitatis transiliens metam , varias attingat cognitionum species , ad illarumque , ut ita dicam , apicem se se sublimi volatu extollat. Surge igitur , ô quicumque cœlesti flammâ ardentem geris animam , & quò te fata vocant , audacter perge : satis verò sit aliis certis circumcingi limitibus , suisque ritè adimplendis muneribus studere. Hostes patriæ arceat bellator impavidus , milleque inter pericula magnum sui faciat argumentum. Civium jura tueatur iudex incorruptus , unâ manu fluentes viduæ lacrymas abstergat , alterâ vero sacrum quassans themidis gladium , fontes deterreat. Undè nam tot in civili rerum ordine subversiones , tot inter homines dissidia , nisi ex eo quod propriæ telluris exarandæ oblitus quisque , alienum in agrum divagetur imprudens. Tandiu orbis universi dominatrix Roma floruit , quandiu immensi corporis tui membra vices suas felici concordia adimpleverunt , Cartaginiensemque nunquam fregissis superbiam , si tuus Scipio rhetor aut physicus esse voluisset.

I I I.

NON omnia possumus omnes. Quis proinde debitum laudis vestigal huic denegare poterit , qui impositum sibi pensum religiosissimè absolvit. verùm eo indefessâ magis operâ prosequendæ sunt scientiæ vel artes , quo propius ad humanam accedunt utilitatem. Sed cum de publicâ loquar utilitate , nemo est qui statim ad artem omnium præstantissimam non attendat ; nemo qui apertum viro medico curriculum pavido non demetiatur oculo. Quot enim sunt ediscenda , quot detegenda ? quanto pretio nobis arcana sua venditat natura ? tristes inter humani generis reliquias fodiendum nobis

est, morsque de vitæ fontibus interroganda. Nunquam fetentis respuenda cadaveris sectio, si varios velimus partium situs cognoscere, totiusque machinæ mirandam compagem indagare. Non aliter enim inquirendum est quomodo sanguis ab arteriis in venas diffundatur, vitamque purpureo cum latice singulas ad partes devehat : quomodo elasticum pulmonis utriusque parenchyma, aërem accipiat, reddatque vicissim : quomodo defatigatis membris pretiosam annonam distribuens ventriculus, avolans vitæ balsamum continuo possit refarcire. Nec satis est post anatomicos labores, genuinum corporis viventis mechanismum callere. Multum adhuc in enodandis morborum causis & differentis, multum in expendendis medicaminum viribus desudandum est. Diu noctuque, contagii periculo, lustranda nosocomia : explorandum quid eodem in morbo discriminis afferant locus, ætas, sexus, animi pathemata. Dic nunc utrum alienis rebus operam navare queat vir rebus medicis deditus ? Dic utrum sibilo excipiendi non sint homines isti, qui artem nostram quasi per otium delibantes, se nihil arduum in illa reperire confitentur, atque vulgares hinc & inde formulas spargendo, se publicæ saluti credunt invigilare.

I V.

ERRARE humanum est : Præstantissimosque quâlibet in scientiâ viros quotidie videmus à recto veritatis tramite desletere. At varii errores non idem secum periculum important. Sic qui redituros certo die planetas computis mendacibus prænuntiat, nullum sane in discrimen physicum mundi ordinem adducit : nihilominus enim impositis legibus obtemperabunt sydera, assignatosque à supremo numine Orbes implebunt. In arte verò medendi cujus ad arbitrium corporis viventis immutatur œconomia, non impunè quisquam allucinatur, & grave malum quandoque peperit error vel levissimus. Iam verò, si sæpius ægrotantis ad lectum illos ancipites fluctuantefque videas, quos parta laboribus fama, meritò suprâ metum extolleret ; quid de securâ quorundam putabis ignorantia, qui nullâ rerum difficultate territi, certam malis quibuscumque medelam pollicentur ? Hos fugite, ô cives : morbis enim omnibus sunt vobis funestiores. Alii etiam, artem sublimem uniuscujusque intellectui accommodantes suum sibi quisque medicum, esse clamitant. passim creduntur : nec mora, nec requies ; avidâ quisque manu codices medicos arripit ; quid indè ? Luctuosissimâ variorum morborum imagine perlegendo concutitur ; neque raro evenit ut in ipsa incommoda quæ tentat effugere, præconcepto terrore propellatur. Si doleat huic caput, illico peccantis humoris stasi comprimi cerebrum putat. Si levi quætiatur tussis pectus, instantem peripneumoniâ aut pleuritidem perimelcit. Si solitò difficilior

alimenta concoquat piger ventriculus, se mox febre putridâ corripiendum luget. Diris tunc mens vexata cogitationibus, nihil nisi triste somniat, corpusque quod movet excruciendo, satis comprobatur physica sæpius mala, ab imaginatione læsâ profluere.

V.

AT, inquires, ubique morbus, non ubique Medicus adest. Deficientibus igitur doctorum virorum consiliis, illorum scripta saltem fas sit interrogare. Peribit ne gens pauperum humili sub tugurio procul ab urbibus latitans, ideo quod inter se non habeat artis magistros? Nonne remotis in pagis, ubi plerumque medicantis provinciam suscipit circumvolitans tonsor, Parochum potius decet *doctum cum libro* fieri, ægrisque pharmaca, pro sua prudentiâ, distribuere? Vituperanda ne ruris incola mulier, quæ serotinas ætatis suæ horas bonis dicans operibus, *unguenta balsamataque* conficit, quibus calamitosæ plebis vulnera obliniat?..... Maximâ sane tecum veneratione illorum pietatem prosequor, qui miserorum ærumnis condolentes, mala quæ vident conantur levare; propius enim ad supremum accedit numen qui sui similibus prodest. Sed necesse quandoque est scientiâ beneficentiam dirigi. Quî, quæso, poterit quivis, in Medicinâ admodum rudis, varias morborum species dignoscere, congruamque symptomatibus medelam inferre? Atque si intempestivâ curandi methodo levissimum semper exasperetur malum, tutius est nihil agere quam male agere.

Ergo civium sanitati nocet frequens & inconsultat Medici muneris affectatio.

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS HENRICUS THEODORUS COZETTE,
Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theses Author.

A. R. S. H. 1786.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1785.

